



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis  
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad  
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In  
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

**Penzinger, Sebastian Heinrich**

**Solisbaci, 1698**

Disc. XXXII. Fons gratiarum Dei inexhaustus. Maria, gratias Dei  
indefinenter, nobis indigentibus procurar.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

# DISCURSUS XXXII.

*Stella matutina dici, Mariæ gratia & misericordia est nuntia.*

**P**ost caliginosam noctem stella matutina oriri solet, Exordium. diei præco, & nuntia lucis, solis antesignanus, & certa spes claritatis; totum illud tempus, quod à primorum parentum nostrorum lapsu, usque ad diem natalitium Mariæ effluxit, caliginosa quædam nox fuit, ut proinde Apostolus ad Rom. 13. cap. merito dixerit; *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Nox, inquam, fuit, in quâ semper magis magisque multiplicatæ sunt tenebræ peccatorum & iniquitatum, quæ hominibus impedimento erant, quo minus oculos in illam lucem defigere possent, *qua illuminat omnem hominem vententem in hunc mundum.* Joan. 1. cap. at verò natâ Mariâ, surrexit tandem illa stella matutina, Maria nimirum, quæ universo humano generi lumen solis gratiarum divinarum attulit, Maria Stella fuit, certa spes diei, velut ipsa de se dicit Eccles. 34. cap. *Ego Mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Sicut ergo spem lucis ac diei in stellâ matutinâ ponunt homines, sic gratiam & misericordiam fideles christicolæ confidenter expectant per Mariam, ipsa enim Christianitatis Stella est, anchora spei. Lumini ejus SS. Patres accurrunt. SS. Patres, *Ideo convenit ei nomen Maria, que interpretatur stella maris, quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam.* bene scribit de Mariâ S. Thomas. S. Thomas. *Opusculo. 8.* *Tolle Mariam, hanc maris Stellam, maris usque magni & spatiosi, ubi dies? quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissimi a tenebra relinquantur? lacteè perorat S. Bernardus. serm. S. Bernardus.* S. Bernardus. *de Nat. B. V. Multum diligenda est beata Virgo à quolibet Christiano*

ff 2

stiano

stiano propter hoc, quod est inextinguibile lumen eius, nunquam enim aliquis in tantum peccat, si vult per veram penitentiam recurrere ad ipsam, quin ipsa sit statim lucerna pedibus suis, & reducat eum in viam salutis aeterna: comparatur autem stella maris, sicut enim versus stellam illam, qua stella maris vocatur, semper nauta portum & viam considerant navigandi; sic etiam beata Virgo nobis in mari huius mundi constitutis, ostendit viam

B. Albertus Magnus de Nat. B. V. *Maria, id est, maris stella provido Dei consilio vocata est, ut nomine declararet, quod re ipsa clarius manifestat, nam ex quo caelos, cum Filio suo regnatura descendit, induta decore, induta pariter fortitudine praecinxit se, mirabiles*

S. Amadeus *elationes maris solo nutu compeccitura, declarat S. Amadeus*

Homil. 8. *Nata Virgine stella surrexit, quia Maria veri pro-*

S. Petrus Damianus. *via luminis, nativitate sua mane clarissimum serenavit. loquitur S. Petrus Damianus. serm. de Assumpt. V. subjungit Ri-*

Richardus à S. Laur. *chardus à S. Laurentio. lib. 7. de Laud. Virg. Sicut sol natus est, ut illuminet totum mundum, sic Maria ad hoc nata à Deo,*

*ut misericordiam, veniam, gratiam, & gloriam, quasi lumen, à Deo impetret toti mundo. Hoc lumine illustrati Stellam Conceptibus veneremur.*

## CONCEPTUS I.

Confirma-  
tio seu De-  
ductio,

Fortunam ac benedictionem divinam filius Israël praedicit Balaam propheta. Numerorum. cap. 24. quod nimirum largâ benedictione superfundet illos Deus, prosperabit eos, quin ad sui intuitionem admittet eos, in quâ secundum Theologos vera consistit beatitudo: *Vide boeum,* inquit propheta: unde quæso tantam felicitatem, unde etiam cœlestem beatitudinem prognosticavit? non aliunde quàm de stellâ, sequitur enim: *Orietur stella ex Jacob, & virga de Israël.* Sed quænam est illa stella orta ex Jacob? An non sidereum quidam stella est? Nonne homo factus est ex limo, etiam ante concepam? *Formavit igitur Deus hominem de limo terra, & inspiravit*

vixit in faciem ejus spiraculum vite, & factus est homo in animam viventem. Gen. 2. cap. Quonam igitur modo poterat ex hac malsâ luti vel cretæ, id est, ex progenie Jacob stella quadam generari? *Quomodo ex terrenogermine siderem proles?* Quærit doctissimus Expositor Galfridus, ac tandem declarando mysterium, responderet: *Quæ est stella orta ex Jacob, nisi ea, qua nata est nobis Virgo Maria ex progenie Abrahæ, clara ex stirpe David.* Stella hæc in novo Testamento orta ex Jacob, sanctissima Virgo Maria, fortunam ac benedictionem, triumphum & victoriam, electæ Christianitati à Deo impetravit; Stella hæc Jacob diei præco, propitium nobis Deum, Patrem clementissimum, miseros nos adoptantem in filios effecit, Stella hæc Jacob nuntia lucis, sedentibus in tenebris, & in umbrâ mortis, ad beatificam Dei intuitionem mane serenum illuxit, & ut verbo præfati Authoris totum comprehendam. *Stella prorsus, magis re, quàm nomine, cujus vita gloriosa lumen dedit saculo.* Spes una salutis.

## CONCEPTUS II.

Totâ nocte luctatus est Deus sub specie Angeli, cum sancto Patriarcha Jacob, Gen. 32. cap. graves ictus de nocte Angelus dedit Jacob, læsit, ac vulneravit eum: *Tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit.* Ad diei autem crepusculum, summo adhuc mane, iratus Deus placatus est Jacob, summo mane amicus Jacob factus est Deus, summo mane ibidem benedixit eum: *& benedixit ei in eodem loco.* imò quasi victum sese agnoscens, à Jacob discedendi veniam petiit, ac dixit: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora:* Quod Jacob Patriarcha tota nocte in luctâ inferior succubuerit, quin & inpegerit, nullatenus miror, hominis enim contra Deum nulla est potentia, nullum robur; sed cur Deus summo mane, ad auroram Jacob se victum præbet, dimitti petit, ad Patriarchæ nutum facit omnia? Quid vidit ad auroram impedimenti, quo minus vinceret, ut de nocte? S. Juannes Damascenus.

ff 3

Orat.

Orat. 2. de Dormit. Deipara. & cum eo doctissimus Ocellus advertunt, per hanc luctam figurari bellum, quod intercessit inter Deum & peccatorem, & victoriam, quam in favore generis humani de Filio suo reportavit cœlorum Imperatrix, in lethargo peccatorum suorum sepultum jacebat genus humanum, eratque in tenebrosâ nocte culpæ profundissime immersum, cum hoc multis annorum millibus iratus Deus luctatus est, & in irâ furoris sui homines peccatores sæpe sæpius graviter læsit, cujus aquæ diluvio universus orbis, sulphure & igne de cœlo, Sodoma & Gomorrha, tristia exempla dedere, donec tandem nox atra præteriit, & optatissimum cœli fidus, Stella ex Jacob, Virgo Dei Mater illuxit, ad cujus aspectum iratus Deus homini reconciliatus, peccatori amicus est factus, omnes adhuc quotidie pœnitentes largiter benedicit, gratiam eis exhibet, & misericordiam, ab hac solâ Stellâ Mariâ vinci se passus est Deus, qui instar Angeli magni Testamenti, sub typo ait Jacob peccatori, *dimitte me, jam enim ascendit aurora*, bello & pugnæ impone finem, habes jam, quam desideras, peccator, veniã, orta est enim tibi Stella ex Jacob, Maria Virgo, hæc Mater mea erit, cui denegare nihil potero, per hanc concessa sit tibi, quamcumque petis, gratia, & misericordia. Verba S. Joannis Damasceni supra citata recitemus. *Per hanc disturbatum illud bellum, quod nobis cum Creatore erat, sublatum & extinctum est, per hanc cum eorum conciliatio sancita, pax & gratia donata est.* Ad propositum Hugo de S. Victore. serm. 34. in Princ. *Beata Virgo Maria Stella fuit matutina, quia & præcedentis temporis, quod quæ nox fuerat, finis exitit, & vera lucis gratia, Solus, justus, qui ex ipsâ progenitus est, Præventrix, & antelucanum fuit.* Certa spes ferentatis, & nuntia lucis.

### CONCEPTUS III.

Dulce Maria nomen, unânimi SS. Patrum consensus Stella mari interpretatur: cur hoc? Quia omnes hujusmodi pro-

proprietates Mariæ conveniunt. Quamvis multæ sint in cælo  
 stellæ, unica tamen est stella maris, eaque melior & clarior,  
 utpotè quam clara lux solis, lætaque dies subsequitur; multæ  
 sunt in cælo æternæ beatitudinis sanctorum animæ scintillan-  
 tes, ut stellæ, sed ut ait Apostolus, stella differt à stellâ, unica  
 stella maris est, Virgo Maria, sanctis omnibus excelsior, stel-  
 lis his clarior est, & melior. Rationem reddit Eusebius Emisse-  
 nus. *De hâc enim unâ, ortus est Sol Justitia, cujus fulgore omnia  
 illustrantur, quem qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed  
 habebit lumen vitæ.* A solius nempe ortu & nativitate Virgi-  
 nis universo orbi, omnibus in terrâ hominibus dies gratiarum  
 Dei illuxit, ab hâc maximi etiam peccatores, refurgendi ad  
 pœnitentiam spem sortiuntur, ad divinum Solem feliciter in-  
 tuendum, solamen acquirunt: Stella maris ergo Maria.  
 Stella maris, errantibus in viâ, sive per mare, sive per terras,  
 secunda Directrix est, ut patriam attingant; sed & Virgo be-  
 nedicta peccatoribus errantibus sicut ovis, quæ periit, fidelis  
 est peregrinationis comes, quâ ducente ad rectam virtutis  
 viam perveniant, & absque naufragio ad litus optatum salu-  
 tis æternæ perducantur. Ita S. Bonaventura in Spec. lect. 3.  
*Tale certè officium est Stella nostra Maria, qua navigantes per  
 mare mundi in navi innocentia vel pœnitentia, dirigit ad litus  
 cælestis patriæ: propter hoc bene Innocentius ait sic: Quibus au-  
 xiliis possunt naves inter tot pericula pervransire usque ad litus  
 patriæ? Certè, inquit, per duo, scilicet per lignum, & stellam,  
 id est, per fidem crucis, & per virtutem lucis, quam peperit  
 nobis Maria, maris Stella.* Denique stella maris lætificat omnes  
 creaturas, eâ oriente confortatur infirmus, fugit enim nox  
 inimica hominis, diluculo reconvalescit æger, manè viget  
 opifex, & homo natus ad laborem, stellæ luce roboratur. Sic  
 Maria Stella maris, solatur ægros, reficit laborantes, mise-  
 ros adjuvat, universum genus humanum ad gaudia invitat  
 æterna. Audi invitantem B. Albertum Magnum, serm. 3. de  
 Nativ. B. V. *Hæc Stella invitat nos ad bonum hospitium, pro-  
 mittit enim nobis, quod nos per generationem suam, id est, per  
 dile-*

dile.

dilectum Filium suum Jesum Christum, omni gaudio implet,  
 Anchora spei.

Epilogus.

Cum ergo omnis in hoc mundo peregrinus sit homo, nec  
 stationem hic habeamus permanentem, sed futuram inquira-  
 ramus, totque hujus & amarissimi maris procellæ ac fures  
 naufragium nobis minentur, ad Mariam Stellam maris respi-  
 cere de navi hujus vitæ non intermittamus, monito salutari  
 acquiescentes S. Bernardi. Homil. 2. super missus est. O quis-  
 quis te intelligis hujus seculi profluvio, magis inter procellas &  
 tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas  
 oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis: si insur-  
 gant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, re-  
 spice stellam, voca Mariam: si criminum immanitate turbatus,  
 conscientia faditate confusus, judicij horrore perterritus, bina-  
 thro incipias absorberi tristitia, desperationis abisso, respice Ste-  
 llam, voca Mariam: ipsam sequens non devias, ipsam rogas  
 non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis,  
 ipsa protegente non metuis, ipsa Duce non fatigaris, ipsa profectus  
 pervenis, & sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit:  
 Et nomen Virginis MARIA. Amen.

Salvat à procellâ, lucis manè nuntia stella,  
 Dux, comes ad patriam, dirigit ipsa viam  
 Sic omnem mentem, sese devotè colentem,  
 Naufraga ne pereat, stella Maria beat.

